



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris
succinctim complectens**

Klinge, Konrad

Coloniae, 1570

VD16 K 1309

De vinctura seu ligamine Ecclesiæ, id est, excommunicatione. tit. 178

urn:nbn:de:hbz:466:1-29452

sectæ & illius interpretationi, ille habet contra se. tam Ecclesiam Catholicã, neq; certus est, quia quod credit & docet, non approbatur per Ecclesiam, que habet mandatum vt probe spiritus, 1. Ioan. 4.

Quartò, Nec curanda est illorum glossa, aut quòd aliter loquuntur de sacramentis & cæremonijs. Alia enim ex proprijs statuunt. Hæc omnia non sunt approbata per Ecclesiam, idèo incerta sunt. Ceterò ergo pro incerto acceptandũ est. Interim ergo scriptura ab Ecclesia Catholica querèda est, non à priuatis sectis.

Quintò inquires: Ipsi putant se verã habere fidem, Euangelium, sacramenta, &c. Resp. Hoc omnes secte putarunt ab initio, & sic faciunt Iudæi, Genes, heretici. Sed non ideo verum est verbum, quod p̄sistant pro Euangelio. Discernendũ ergo est verbum approbatum per Ecclesiam, à verbo sectariorum nõ approbato, sed potiùs condemnato.

DE VINCTVRA SEU LIGAM.

ne Ecclesia, id est, excommunicatione.

TITVLVS CLXXVIII



Primò, Christus caput Ecclesiæ suæ Catholicæ, sic ei p̄didit, q̄ dedit illi dicitur clauis: Primò, clauem consolationis, denunciandi Euangelium, & sacramentorum administrationem, 1. Cor. 4. Sic nos existimet homo, &c. illo aperit cælum peccatori pœnitenti, & cessanti peccare, & dicitur potestas ordinis. Secundò dedit quoq; clauẽ excommunicationis, quo claudit cælum impœnitenti, & in publicis peccatis pergenti, aut fidem falsificanti per hæresim, de quo Christus Mat. 18. Qui Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquàm ethnicus & publicanus, 1. Corint. 6. Cum huiusmodi nec cibum sumite. & 1. Ioann. 2. nec aue dixeritis &c. Ob id excommunicatio dicitur ligamen Ecclesiæ, quo transgressores ligantur.

Secun.

Secundò, Causæ ligationis seu excommunicatio-
nis, quas scriptura commemorat, sunt peccata publi-
ca, vt 1. Cor. 5. Si quis fratrum, i. Christianorum ap-
pelleur & fuerit scortator, auarus, aut symulacro-
rum cultor, cõuiciator, ebriofus, aut rapax, cum hu-
iusmodi nec cibum &c. Secunda, hæresis seu qui eam
aut docet, aut defendit, 2. Theff. 3. Si quis non obedit
sermoni nostro &c. Gala. 1. Tit. 3. Sic 1. Tim. 1. Paulus
tradidit Hymenæum & Alexandrum sathanæ. Hæc
excommunicationis potestas dicitur vltima, id est, tunc
solum debet exerceri, quandò nullis alijs medijs po-
test consuli temerario. Non ergo debet de facili fieri
ob temporalium defensionem, aut aliam leuem cau-
sam, &c. Tertiò inquires: Quid est tradere sathanæ se-
cundum carnem, sicut dixit Apосто. 1. Cor. 5. quandò
excommunicauit fornicatorẽ, cum nouerca, inquires:
Tradidi illum sathanæ ad interitum carnis, quo spi-
ritus saluus sit in die Dñi. Resp. Hoc tantum valet, ac
si diceret: Tradimus eum in potestatem sathanæ, hoc
tamen discrimine, vt cum non in æternum sub se ha-
beat, sed sinat eũ reuerti ad Christum, si redit per con-
uersionem, & cupit iterum reconciliari Christo, qua-
tenus tandem saluus fiat, vt in hoc sathanas nõ pos-
sit illum impedire: Aut sic trado eũ, scilicet, vt satha-
nas habeat potestatem super excommunicatum, vt eum
persequatur & impugnet in corpore cum infirmita-
tibus, in fama cum turpitudine, in bonis cū damno:
vt moriatur animalia, depauperetur, & sic secundum car-
nem tribuletur, qua etiam seruiuit sathanæ. Sed Deus
vult sibi præseruari animam. Sic exemplum est in
Iob. Sic multæ magnæ familiæ periêre.

Iob. 1.

Quartò, si nulla accesserit pœnitentia, tunc anima
excommunicati etiam excommunicabitur, id est, sepa-
rabitur à cõmunitate cœlestis patriæ. Nã Deus vult
etiam in cœlis habere ratã talem excommunicationem,
Ioan. 20. Ligatum erit & in cœlis. Si aut quis iniuste
fuerit

fuerit excommunicatus, non nocebit, sed patietur. ferat hanc iniuriam, iuxta illud Mat. 5. Si quis te percuterit in maxillam unam, &c. Timeat tamen & honoraret potestatem illam à Deo concessam, propter Deum, attamen ille qui iniuste excommunicat, vel ex leui causa, grauissimè peccat coram Deo. Est igitur excommunicatio, vinculum, quo est vinctus peccator, nè se possit defendere contra Sathanam, aut pariceps sit bonorum Ecclesie, &c.

AN EXCOMMUNICATIO
sit efficax in contemptore.

TITVLVS CLXXIX



PRIMO, cum plerique Hæretici sint excommunicati bulla Papæ, & banno Imperatoris manifestè, ipsi autem nolunt esse excommunicati, ad quid valet illis excommunicatio? Respon. Christus Ioan. 20. inquit: Quorum remisistis peccata, illis debent esse remissa: & quibus retinueritis, retenta sunt, id est, Ego approbabo vestram sententiam, quasi dicat, tamen non curant homines, ego tamen approbabo, & Mat. 18. iurat & dicit: Amen dico vobis, quicunq; ligaueritis super terram, ligata erunt in cælis, &c. id est, licet homines hinc volunt esse securi, & non esse supra terram excommunicati, sed pergunt in sua temeritate, attamen in cælis & coram me tales erunt perpetuò: Et sic fit, quòd hinc excommunicati ex iusta causa, vt hæretici & alij flagitiosi, licet nolint esse tales, attamen in cælo & coram Deo tales sunt, idèò semper consciètia est turbata aut obstinata. Non enim homo est, qui ligat, inquit Chrysostomus, sed Christus, qui dedit hanc potestatem hominibus, Mat. 9.

Secundo inquiunt: Nos habemus verbum Dei, veritatem, rectum, clarum & purum intellectu scripturæ, eccle.